

In diébus illis:

<sup>20</sup> **D**ixit Dóminus:

«Clamor contra Sódoram et Gomórram multiplicátus est, et peccátum eórum aggravátum est nimis.

<sup>21</sup> Descéndam et vidébo

utrum clamórem, qui venit ad me, ópere compléverint an non; sciam».

<sup>22</sup> Converterúntque se inde viri et abiérunt Sódoram; Abraham vero adhuc stabat coram Dómino.

<sup>23</sup> Et appropínquans ait:

«Numquid vere perdes iustum cum ímpio?

<sup>24</sup> Si forte fúerint quinquagínta iusti in civitáte, vere perdes et non parces loco illi propter quinquagínta iustos, si fúerint in eo?

<sup>25</sup> Absit a te, ut rem hanc fácias et occídas iustum cum ímpio, fiátque iustus sicut ímpius; absit a te.

Nonne iudex univérsæ terræ fáciet iudícium?».

<sup>26</sup> Dixítque Dóminus:

«Si invénero Sódomæ quinquagínta iustos in médio civitátis, dimíttam omni loco propter eos».

<sup>27</sup> Respondénsque Abraham ait:

«Ecce cœpi loqui ad Dóminum meum, cum sim pulvis et cinis.

<sup>28</sup> Quid, si forte minus quinquagínta iustis quinque fúerint?

Delébis propter quinque univérsam urbem?».

Et ait:

«Non delébo, si invénero ibi quadragínta quinque».

<sup>29</sup> Rursúmque locútus est ad eum:

«Si forte invénti fúerint ibi quadragínta?».

Ait:

«Non percútiam propter quadragínta».

<sup>30</sup> «Ne, quæso, inquit, indignétur Dóminus meus,  
si loquar.

Si forte ibi invénti fúerint trigínta?».

Respóndit:

«Non fáciam, si invénero ibi trigínta».

<sup>31</sup> «Ecce, ait, cœpi loqui ad Dóminum meum.

Si forte invénti fúerint ibi vigínti?».

Dixit:

«Non interfíciam propter vigínti».

<sup>32</sup> «Obsecro, inquit, ne irascátur Dóminus meus,  
si loquar adhuc semel.

Si forte invénti fúerint ibi decem?».

Dixit:

«Non delébo propter decem».

Verbum Dómini.